# ACTA CAPITULI PROVINCIALIS HUIUS PERUNTINÆ PROVINCIÆ SANCTI JOANnis Baptistæ in hoc nostro Sancti Thomæ Aquinatis Limensi Collegio celebrati die 24. Julij Anni Dni 1780.

*SUB A. R. P.N. FR. EMMANUELE SANCHEZ in Sacra Thealogia Magistro in Regia Regum Academia Doctore, ibi que Primariæ Theologiæ Moralis Exedræ Moderatore, apud Sanctæ Inquisitionis Tribunal Qualificatore, & Consultore, huius Limanæ Archiepiscopatus Examinatore Synodali, nunc que in Priorem Provincialem electo.*



*Limæ in Typographia ad Callem Sancti Hyacinthi.*

# HÆC SUNT ACTA CAPITULI Provincialis huius Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ del Perù Ordinis Prædicatorum celebrati in hoc nostro Sancti Thomæ Aquinatis Collegio Limensi die 24. Mensis Julij Anni Domini 1780.

SUB A. R. P. N. Fr Emmanuele Sanchez in Sacra Theolegia Magistro in Priorem Provincialem electo.

Definientibus A. RR. PP. Magistris Fr. Thoma Velasco, Fr. Josepho Hurtado, Fr. Francisco Zumaran, & Fr. Emmanuele Galan.

Fr. Emmanuel Sanchez in Sacra Theologia Magister, & huius Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ del Perù Ordinis Prædicatorum humilis Prior Provinciales, & servus; Vniversis, & singulis præfatæ Provinciæ Patribus, ac Fratribus salutem, nec non pacis sanctæ spiritum.

Cum in amplissimum, & quidem ipsa religiosi muneris dignitate præclarum huiusce inclytæ, ac florentissimæ Provinciæ Primatum, nullo proprii meriti impulsu, sed inescrutabili Divinæ Providentiæ complacitu, tot suffragiorum numero me evectum inspiciam; Superiorum dotes, quas

Doc-

Doctor Gentium enumerat haud parva meditatione discutiens, penitùs contremisco : nec opportunis verbis, trepidantis animi sensus exponere satis ero, quàm his in quæ Magister ille æquè que dissertissimus Leo imbecilles quosque instructurus, non sine stupore prorrupit : *Domine audivi auditum tuum, & timui, consideravi opera tua, & expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum* (exclamat Pontifex Sanctus) *quàm labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?*

At, quia diù timere, latiùs que diffidere, minimè decet illos, qui Superni Numinis nutu ad pascendum Domini gregem sunt utique præordinati, addidit egregius Doctor : *Et tamen non desperamus, neque deficimus, sed de illo præsumimus, qui operatur in nobis; præsertim cum vocet Dominus ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Eo me ergo cuiusque profectui aptiorem, omnium que commodis alacriorem exhibere opportebit, quo me ipsum exigui meriti hominem super tot religiosissimos, ac præclariores herclè Viros supremi regiminis altitudo sublevat, exaltat, magnificat. Non enim illa adorabilis Sapientia, quæ attingit omnia fortiter, omnia que disponit suaviter, tertio me clarificasset, & istius Provinciæ Ducem triplicata vice constituisset, nisi meæ imbecillitatis conscia eam fovere, eam substentare meritò providus determinasset. Non (inquam) nisi esse in ore meo, seu mecum esse consulisset, ut evellam, & destruam, ut ædificem & plantem, ac relaxatione quacumque avulsa, regularis Observantiæ primordia revirescant. Non quidem tandem, nisi ut Justitiæ jura fixa radice seminentur, & Pacis fructus uberrimo

rimo

rimo incremento metantur. Quis aliquando dubius, quod sicut ab arbore frondes, à frondibus flores, à floribus fructus agris enasci aspicimus, sic à Justitia imbre Charitatis irrigata, suaptènatura erumpunt frondes Concordiæ, Vnitatis flores, fructus que Pacis? fructus (dicam) cunctorum gutturi dulces, & ori meo sicut favus mellis, immò super mel, & favum: fructus (repetam) saporis ita gratissimi, *ut in rebus creatis* (texte Doctore Augustino) (*) *nil delectabilius soleat concupisci, & nil utilius possideri.* Talis complexionis fructus totis medullis ambio, & Divinæ miserationi innixus prægustare non diffido, satis firmiter inductus, illi valde concordiæ, qua perplura, & penè totius conclavis dictamina convenerunt in unum, ac Provinciæ regimine me pacificè decorarunt, nec portæ inferi (Deo protegente) prævaleant dissolutionem aliquam immittere, aut pacis studium enervare. Sanè Venerabiles Magistri, sanè Dilectissimi Fratres, hac electione nostra crebro Piorum solamine, minimè inter vos vidimus contentiones innecti, murmura oriri, partialitates conspirari: minime audivimus, *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ;* quin potius certàtim omnes pacis insequendo vestigia, nullus in via Cain abijt, nullus in contradictione Corè perijt.

Ut que hæc pax nostra neque Legum clamoribus, nec Benemeritorum querellis deinceps turbari queat, gladio justitiæ super femur meum potentissimè accingam, ictu que strenuo (si opus fuerit incissione) vitia quæque, noxios que abusus

---

(*) *D. August. de Civit. Dei.*

sus pariter resecabo. Collum abscindam illius pestilentis aspidis omninò surdi, & vocibus pontificijs aures suas obturantis, quæ mortifera contagione haud paucos ex nobis (quorum dolemus casum) usque modò sauciat, usque modò inficit; Collum ergo illius obduratæ audatiæ, qua Dynastarum auspicia sedulò emendicantes, impunitates, promotiones alia vè honorifica, & commoda à Superioribus extorquent, pergravi Benementium injuria, ac maximo Religionis dedecore. Huius malitiæ monstrum, non lapide ut David Goliathum, sed veluti Judith Holofernem gladio justitiæ obtruncare, abolere, exterminare animo virili studeo, ut jus suum unicuique tribuens, merita honore quiescant: animadversis flagitijs, Legum observantia floreat, & pax quæ exuperat omnem sensum in nobis sistat, augeatur dilatetur. Rusticè fallitur, qui misericordiam à veritate segregat, perignarè quisque justitiam cum pace non innectit: illarum quælibet obviam alteri facit; istarum, una cum altera amicissimè osculatur, & sicut vitta coccinea cuiuslibet ipsarum labia, osculis vinciuntur, (seù ut meliùs exprimam,) earum animæ conglutinantur: hinc amica officiorum vicissitudine sibi mutuò fauent, mutuò sibi subveniunt: hinc, quem uni injuriam infert, altera quasi hostem pellit. O quàm pulchrè utriusque Virtutis ore Infractoribus legum alloquitur Augustinus! (*) *Fac justitiam,* (inquit) *& habebis pacem ut osculentur se justitia, & pax: si non amaveris justitiam, pacem non habebis: si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax.*



(*) D. *Aug. sup. Psalm.* 84. *apud Spanner.*

*Tu quare litigas cum justitia? ecce justitia dicit tibi, ne fureris, & non audis; ne adulcereris, & non vis audire: inimicus amicæ meæ dicit tibi pax, quid me quæris? amica sum justitiæ: quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, ad illum non accedo.*

En Charissimi pax vera, pax sancta ut potè justitiæ consors: En pax, quam super Sanctos suos loquitur Dominus, & super eos qui convertuntur ad cor: En tandem pax, quam non solum inquirere, sed cura infatigabili persequere cuiuslibet Superioris refert. Quare singulos, & universos nostræ Provinciæ Viros, quos corde perfero insculptos, obsecro, moneo, suadeo ut venerabile Pacis origraphum, usu haud solum externo revereri, sed potioribus intus animi brachijs, tum regulamine vitæ, tum Legum observatione amplexari studeant. Ipse quippè Dominus, qui pacem relinquit omnibus, pacem nobis dat suam, ut duplicis pacis munimine, quasi sacratiori bonæ suæ voluntatis scuto, aut Thau sigillo pretioso secernat electos, queis per proprij sanguinis effusionem reconciliationem spondet æternam. Hoc anxiè exopto; hoc totis visceribus concupisco.

(*) *De cetero, Fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate: hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* Valete.

## DENUNCIATIONES.

IN primis denunciamus geminatum illud, atque redun-

(*) *D. Paul. ad Philip. 4. v. 7.*

redundans jubilum, quo hæc Peruana Provincia, Rmum Nostrum Magistrum Generalem Fr. Balthasarem de Quiñones ad supremum nostræ Religionis fastigium evectum fuisse, nuntia suscepit; cui teneritudinis plurimum omnium cordibus adjecit illa gravis, eloquens, perdisserta que Alloqutio, qua SSmus mundi Princeps cunctorum Eligentium pectora igne cælesti inflammavit, ac super Dominicanam Familiam gloriam, & magnum decorem imposuit: gloriam reverà...

*Quæ superat cunctas, quas Romæ Romulus ipse astruit, & studium clari fortassè Camili.*

Item denunciamus magno valdè Nostrorum gemitu è vivis sublatum fuisse illum cunctis amabilem Virum A. R. P. N. Mag. Prov. Fr. Josephum Rosales universæ Civitatis gaudio in anteriori Quatriennio electum, cùm suum lenissimum regimen ad unum tantummodo annum diesque tredecim (Deo sic disponente) produxisset; insimul que completis omnibus, quæ pro nostra Provincia in simili eventu sunt sancita, Regimen, & Vicariatum Provinciæ jure capesisse A. R. P. N. Mag. Fr. Emmanuelem Sanchez, qui tunc casus, Domum Capitularem, Collegium nempe S. Thomæ Limense uti Rector à Rmo P. Generali institutus pacifica posessione gubernabat.

Item denunciamus Emi D. Fr. Joannis Thomæ Boxadors tunc universi Ordinis nostri Magistri Generalis, quasdam Literas ad Nos pervenisse, quibus sua authoritate confirmavit electionem Provincialis in Personam præcitati defuncti A. R. P. N. Mag. Fr. Josephi Rosales anno 1776. celebratam.

Item

Item denunciamus pias, prudentissimas que Ordinationes à Rmo P. N. Mag. Generali Fr Balthasare Quiñones pro uberiori fructu, & nostræ Provinciæ incremento die 3. Junij Anni 1778 emanatas, prona qua par est veneratione æquè recepisse; illicò que in universis Provinciæ Domibus publicandas curasse: cùm in obedientiæ signum, tum in gratitudinis nostræ aliqualem significationem.

Item denunciamus ipsumet Rmùm P. N. Mag. Generalem in fauorem A. R. P. N. Mag. tunc Vicarij Generalis Fr Emmanuelis Sanchez, die 3. Junij Anni 1778. Literas particulares dedisse; queis, iustis de causis (ut sua Rma Paternitas nobis exponit) non obstante Ordinatione N. Rmi de Rocaberti lata sub die 24 Novemb. Anni 1675. & qua sub pœna nullitatis statuit *quod Vicarius Provinciæ, qui mortuo, vel amoto Provinciali in Vicariatu successerit, si per annum integrum in officio perseveraverit, non possit in futura electione eligi in Provincialem*, (& aliàs hac Lege suo in robore permansura) pro hac vice tantum super illa dispensat, reddit que ac declarat plenè eligibilem pro futura proxima eleccione Provincialis (salva in omnibus Eligentium libertate) prædictum A. R. P. N. Mag. Fr. Emmanuelem Sanchez, ob mortem R. A. P. N. Mag. Fr. Josephi Rosales penè annis tribus ut Vicarius Provinciæ eamdem fuerat moderatus.

Item denunciamus his literis antea patefactis, universa que Provincia illarum tenoris conscia, die 24 Julij Anni labentis 1780 pacifica penè omnium Suffragantium consensione canonicè fuisse electum in Priorem Provincialem eiusdem

non-

noſtræ Provinciæ ipſummet A. R. P. N. Mag. Fr. Emmanuelem Sanchez.

Item denunciamus alias Literas patentes Rmi P. Nri Mag. Generalis die 30. Maij Anni 1778. expeditas: his ergo creat, inſtituit, & facit ſuum Collectorem, & Generalem Procuratorem pro peragendis negotijs, quæ ad Rmum Magiſtrum Ordinis, vel ad commune Ordinis Ærarium pertinere noſcantur in hac noſtra S. Joannis Baptiſtæ Peruvica Provincia A. R. P. Mag. Fr. Cyprianum Cavallero, & in iſtius defectum pariter nominat, inſtituit, & creat A. R. P. Mag. Fr. Joſephum Montalvo.

Item denunciamus die 1. Auguſti præcitati anni fuiſſe canonicè electos in Definitorem Capituli Generalis A. R. P. Mag. Fr. Marianum de Ayeſta; in eius verò ſocium, ſeu quatenus opus ſit Electorem A. R. P. Reg. Fr. Joachimum Molleda.

Item denunciamus benignitate, ſpecialique favore SSmi Noſtri Dñi Pij Papæ VI. ad preces Rmi nri inclinati, Feſtum Tranſlationis Reliquiarum Divæ Roſæ Peruani Regni Protectricis, & Ordinis noſtri Alumnæ, elevatum fuiſſe ad Ritum Totius Duplicis, eius celebratione aſſignata die 18. Menſis Martij cum Oratione & Lectionibus pro ſecundo Nocturno particularibus, ac reliquum Officij ex principaliori ipſius Virginis Feſto omninò deſumptum.

Item denunciamus memoratum A. R. P. N. Mag. Prov. Fr. Emmanuelem Sanchez, Rationem totius Recepti, & Expenſi in Vicariatus Provinciæ tempore ſatis prolixè formatam, ac teſtificatam, noſtro judicio exhibuiſſe exami-

C nandam:

nandam : Nos tamen etsi valdè affatim conscij nullam in ea invenire causam, ab eius scrutinio penitùs abstinentes, ad R. A. P. N. Mag. Visitatorem Fr. Marianum Ximenes (pro ut nostri agere erat) illam statim detulimus: ipse verò epistola quadam manu propria subscripta, ad Nos rem totam devolvit. Quare unà cum quatuor antiquioribus Magistris ad hunc effectum in loco Definitorij esociatis, permagna cura revissa, non solum fuit approbata, verum iterata congratulatione commendatæ tum charitatis largitas; tum animi fidelitas, tum zeli sublimitas, quibus præter innumera subsidia in sublevandis pauperum Fratrum indigentijs diffussa manu erogata, haud parvi momenti ædificia construxit, reparavit, pulchrifecit. At, ut præventum, & jussum à Nro Rmo in §. 27. suarum prælaudatarum Ordinationum, debitæ (ut juris est) executioni mandetur, authenticum Exemplare, seu juridicum Testimonium sententiæ ab omnibus prolatæ manu que singulorum subscriptum, Patri Provinciali justissimè exigenti contulimus, ut opportuno tempore (in quantum belli possibilitas admittat) ad manus Rmi Nri illud transferat.

## SUSPENSIONES.

Ordinationibus Capitulorum Generalium, insimul que animadversionibus Emi ñri Fr. Joannis Thomæ de Boxadors Ann. 1760. & 1767. expeditis omnimodè inhærentes, suspendimus quascumque Licentias excipiendi Confessiones quomodolibet concessas (Laureatis duntaxat, & Lectoribus Triennalibus Sanctæ Theologiæ exceptis) eisdem

eisdem tamen fungi poterunt, donec revisis ab A. R. P. N. Mag. Provinciali, quas æquum judicaverit, vel ad tempus, vel in perpetuum suspensas declaret. Legem verò trini examinis pro his, qui studentatus munere expleto, vel actu non legunt, vel nunquam legerunt, seu pro illis, qui Phylosophiæ lectione consummata Sacram Theologiam non docuerunt, omninò servare volumus; declarantes eos omnes trino memorato examini penitùs esse subjectos, imo & pœnis privationis utriusque vocis in Electionibus Priorum, facultatis que audiendi Confessiones, sicut in prælaudatis Animadversionibus decernitur, ac statuitur.

Sed ad solatium horunce Examinandorum notum ipsis facimus: etsi legem trini examinis suo in robore permanere, ligamentum tamen ea omnia in Studiorum Domibus peragi, iam esse laxatum à Nro Rmo, qui petitionem Provinciæ hac super re expositam benignissimè admissit, Ordinationem que ab Emo suo Prædecessore pergratiosè temperavit. Verba ergo, quibus suam mentem declarat huius tenoris sunt: *Ad Provinciæ supplicationes devenientes: primam, in qua Provincia rogavit ut examina pro excipiendis Confessionibus fieri etiam extra Conventus in quibus studia generalia vigent, admittimus, ea lege ut eiusmodi examina subeunda pro secunda, & tertia vice duntaxat fieri possint extra studia generalia; sub hac tamen præcisa conditione, ut ne hæc quidem examina secunda, & tertia fieri possint, nisi in Conventibus earum Vrbium quæ sunt Capita Episcopatuum; id que intelligatur de illis tamtum Religiosis Viris, qui sunt assignati, & morantur in Conventibus, & Domibus designandis à Capitulo Provinciali proximè cele-*

*lebrando, & à Nobis approbandis: vehementer enim doleremus; si fortè quispiam hac nostra concessione abuteretur: perspicitis namque agi de re gravissima unde salus animarum pendet.*

Quid clarius? sed quid maturius? tamquam Scientibus, & Incipientibus debitor, suum aperit sensum N. Rmus, singolos que perabunde instruit prima omnia examina ad Confessiones audiendas indispensabiliter actuari in Domibus Studiorum; ast secunda, & tertia peragi posse in quibus generalia studia non agitantur: sed Domus istæ non qualescumque Provinciæ, sed eæ tantummodò vbi Episcopi assistunt, & Capita Episcopatuum vocantur: Nec in mentem veniat huiusmodi privilegium quibusvis nostræ Provinciæ Religiosis indifferenter concessum; quippe eo solum fungi poterunt illi Religiosi Viri, qui sunt assignati, & morantur in Conventibus, & Domibus à Capitulo Provinciali designandis, & à N. Rmo approbandis. Cum que nostra intersit omnem ambiguitatem dissipare, & mentem Nri Rmi ad execucionem reducere; declaramus omnia primaria èxamina ad excipiendas Confessiones nullibi fieri & actuari, nisi in Conventibus aut Domibus vbi studia generalia vigent; pro secundis verò & tertijs examinibus peragendis (menti N. Rmi inhærentes) assignamus Conventus nostros omnium illarum Vrbium, quæ Capita Episcopatuum vocantur; sed Locorum distantias non immaturè calculantes, hac serie, hoc que ordine supradictas assignationes constituimus videlicet, quod Religiosi nostri qui actu morantur, & deinceps sint moraturi in Conventibus de Tarija, & Misque, de Cachabamba, & Potosi,

tosi, tam prima, quam secunda, & tertia examina in Conventu S. P. Dominici Platensis Civitatis peragant; quoniam ad istud Cænobium præter rationem Domus Studiorum ad primum examen necessariò requisitam, pro reliquis plenè perficiendis minori labore, sumptibus que minoribus, respectu aliorum Conventuum, possunt accersiri Examinandi. Similiter Religiosi Conventus nostri SSmi Rosarij de Oruro primum examen adimplere tenentur in præcitata Domo S. P. Dominici Platensi, duos vero superstites poterunt commodiùs perficere in Conventu S. Hyacinthi de Chuquiavo, seu Pacenci. Conventuales Domus S. Thomæ Aquinatis de Huancabelica, primum examen facient in qualibet ex nostris Domibus Studiorum huius Civitatis Limanæ, sed pro secundo, & tertio subeundis possunt facilius migrare ad Conventum Sanctæ Annæ Vrbis Huamaguensis: Religiosi qui morantur in Conventibus de Huanuco, & de Chincha tam pro primo, quam pro reliquis examinibus in hanc Limensem Civitatem se conferre obligantur; non ita Patres Conventuales Conventus nostri de Chicama: hi namque pro primo examine sustinendo huic Peruvicæ Capitali obstringuntur adesse; tamen secundum, & tertium in Conventu S. Petri Martyris Troxillensi, vel tantilla opera explere consequentur: Religiosi demum Conventus nri SSmi Rosarij de Moquegua, trina examina ad quæ tenentur, in Conventu S. Pauli Arequipensi, vbi ex concessione N. Rmi studia generalia vigent, commodius subire agnoscimus.

Ut que hæc perspicua designatio nullis vanis argutijs, futilibus que commentulis offuscari

nunquam possit, quin potius officiosam observantiam (uti fas est) ipsi præstetur; universis, & singulis nostræ Provinciæ Prioribus etiam Vicarijs Provincialibus, & quibuscumque alijs Conventuum Præsidibus, strictissimè præcipimus, ne quis eorum quovis prætextu aut colore aliquid circa huiusmodi distributionem variare sivè alterare audeat, imò à suis respectivè subditis pervigilanti cura ipsam faciant ad unguem observari: perspiciant nanque (ut N. Rmus admonet) agi de re gravissima unde salus animarum pendet.

## ACCEPTATIONES.

Acceptamus Literas patentes, quibus Rmus P. N. Mag. Generalis dignatus est honorare gradu Magisterij tit. Lect. RR. PP. Præs. Fr. Josephum Montalvo, Fr. Garciam Noroña, Fr. Emmanuelem Centellas, Fr. Michaelem Davila, Fr. Laurentium Cavallero, Fr. Balthasarem Gastelu, Fr. Marianum Pasarin, & Fr. Joachimum Oribe.

Similiter acceptamus Gradus Magisterij tit. Prædic. quibus æqua dignatione N. Rmus honorat RR. PP. Præs. Fr. Franciscum Escalante, Fr. Josephum Gavinum Moreno, & Fr. Marianum Ayesta.

Etiam acceptamus Gradus Præsenraturæ tit. Lect. RR. PP. Reg. Fr. Gundisalvi Zabala, Fr. Petri Dueñas, Fr. Emmanuelis Garrido, Fr. Ferdinandi Salmon, Fr. Thomæ Zumaran, Fr. Joannis Emmanuelis Bravo, Fr. Andreæ de la Roca, Fr. Josephi Freyre, Fr. Joannis Emmanuelis Pozo, Fr. Didaci Vallexo, Fr. Petri Pino, Fr. Mariani Luxan, Fr. Vbaldi Varela, Fr. Joannis Paulini

Franco,

Franco, Fr. Clementis Bolaños, Fr. Josephi Aragon, Fr. Joannis Medina, Fr. Joannis Cornez, Fr. Thomæ Arze.

Acceptamus quoque Grados Præsentaturæ tit. Predic. RR. PP. Fr. Stephani Salmon, Fr. Joannis Vega, Fr. Ildephonsi Idiaquez, Fr. Augustini Cuba, Fr. Mathæi Rosas, Fr. Vincentij Cortines, Fr. Blasij Cornejo, & Fr. Joannis de Deo Paz.

Denique acceptamus Prædicaturas Generales RR. PP. Fr. Stephani Luna, Fr. Emmanuelis Sebastiani Calvo, Fr. Francisci Sanchez de los Reyes, Fr. Sylvestri Seballos, Fr. Joannis de Deo Lazo de la Vega, Fr. Anselmi Figueroa, Fr. Angeli Espinoza, Fr. Francisci Larrain, Fr. Hermenegildi Camargo, Fr. Josephi Bergara, Fr. Petri Arnao, Fr. Michaelis Llanos, Fr. Laurentij Aybar, Fr. Bernardini Torres, Fr. Vincentij Solorsano, Fr. Mariani Leon, Fr. Gregorij Villanueva, Fr. Victorij Quintana, & Fr. Josephi Corto.

## ORDINATIONES PRO BONO REGIMINE.

CUM nostræ Provinciæ principale studium sit obsequenti animo venerari qualescumque Capitis Religionis Leges; Sanctissimas Ordinationes, quas pro optimo eiusdem moderamine Rmus Noster recenter expedivit die 3. Junii Ann. 1778. pari veneratione colere, æquum, dignum, ac fas erit: hinc minimè decet, imò nec necessarium apparet aliquid ex nobis quasi ex nobis superponere; in illis quippè quodcumque desiderabile bonum abundanter comprehenditur, seu

(ut

(ut opportunè loquamur) omnia bona cum illis nobis pariter venerunt: id circò meritò animadvertentes superfluum, ac perinutile fore quid quid addere poteramus, nil ordinare duximus, sed tamtummodò resolvimus prælaudatas Ordinationes hisce Actis inhærere, earundem que executionem vehementer commendare.

In primis exequi volumus N. Rmi Ordinationem §. 20. contentam, qua nobis injungit, Magistros que Novitiorum admonet, indefessam curam habere ut omnes Adolescentes in studio Catechismi Romani jugi applicatione se exerceant. Verba, quibus hanc salutiferam, gratam que occupationem efficaciter procurat, sequentis tenoris sunt: *Cum exploratum omninò sit ad rectam Novitiorum institutionem plurimum conferre delectum Librorum, qui jugi studio versandi Adolescentibus traduntur, illud pro certo habetote, non parùm sanè Novitiorum profectui tum in Scientia Sanctorum, tum etiam in latini Sermonis nitore, ac facilitate comparanda consultum esse futurum, si Romanum, seu Sacrosancti Concilij Tridentini Catechismum nocturna, diurna que manu terere assuescant. Iam non est, cur multa vobis dicamus de illius dignitate, atque præstantia: sat enim Vobis erit vel obiter animo recolere Sanctissimum Pontificem cuius jussu editus fuit, gravissimos, eruditissimos que Theologos, qui in ipsius editionem operam, ac diligentiam contulerunt suam (quæ scilicet duo ad immortale pertinent Familiæ nostræ decus, & ornamentum) ac demum quanto plausu, & consensione ab universa Catholica Ecclesia exceptus, celebratus que fuerit Liber ille verè aureus, omnibus que numeris absolutus, & quanto in pretio semper fuerit habitus à Viris pie-*

*pietate, doctrina que clarissimis; unde & usus ipsius à Romanis Pontificibus, at Synodis etiam tum Provincialibus, tum Diœcesanis permultis fuit tantopere commendatus, imò & sæpissimè præceptus.*

*Quamobrem injungimus Novitiorum Magistris, ut Alumnos suos & præsertim qui in anno probationis versantur, satagant in Romani Catechismi lectione singulis diebus, quantum fieri poterit, exercitare: Curent, ut illud memoriæ mandent, atque ex Latino in vernaculum Sermonem vertant; instent opportunè ac etiam importunè id agere negligant; illis id ipsum perficientibus adsint, eos que doceant, adjuvent, et si in aliquo peccare conspexerint, corrigant; ita enim fiet, ut & præcipua Christianæ Religionis Capita, qui Sacræ Theologiæ quasi semina, ac exordia sunt, melius perdiscant, & in latino, & patrio Sermone magis magis que evadant, exercitari. Præsulum autem Conventuum erit Domibus Novitiorum de laudati Catechismi Exemplorum sufficienti numero providere, tum etiam de Lexicis ad interpretationem necessarijs. Porrò tam de Prioribus, quam de Novitiorum Magistris planè in Dño confidimus non esse defuturos præconceptæ de illis spei nostræ; ideo que peculiari studio, & alacritate in hanc sollicitudinum nostrarum partem esse venturos: quando quidem non dubitamus, eos facilè intelligere posse, quantum inde utilitatis, nedum Adolescentes, verùm & Provincia, imò & Ordo universus valeant percipere. Universim verò Studiorum cultum commendamus, quam maximè possumus, injungentes strictissimè Præsidibus cùm Provinciæ, tum Cænobiorum, ut frequenter inquirant, an Lectores, & Studentes suo muneri satisfaciant; et si desides invenerint, in eos animadvertant; illos verò quos diligentes, & in Litteris progressus fe-*

*cisse repererint, foveant, & ad majores progressus incitent.*

Pari animo optamus serio que monemus, ut methodus Studiorum ab Emo Cardinali nostro Fr. Joanne Thoma de Boxadors olim disposita, huic que Provinciæ transmissa, inviolabiliter ad unguem observetur: hunc enim esse præcipuum N. Rmi scopum satis perspicuè cognoscitur ex ipsomet ratiocinio, quo in recentibus memoratis Ordinationibus §. 22. nobis alloquitur: *Studiorum methodum* (inquit) *ab Emo Principe Prædecessore nostro præscriptam, Vobis in memoriam revocamus, præsertim quo ad explicationem Textus Summæ Theologiæ Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, cuius eximijs laudibus quibus eam alij Romani Pontifices extulerunt, nova facta fuit accessio, qua maior ne optari quidem poterat, ex prætantissima Alloquutione SSmi Patris Nostri Pij VI. habita in Comitijs nostri, quæ sua presentia decorare dignatus fuit. Contendite igitur, ut tanti Doctoris Doctrinam non solum vbique teneatis, tradatis, & toto conatu promovere satagatis, sed etiam ut singula eius verba, si fieri possit, memoriæ commendetis. Itaque præfatam methodum rursus districtissimè præcipientes, in eius transgressores, si fortè qui fuerint, pænam nullitatis Lectionum, & perpetuæ inhabilitatis ad quoscumque gradus ipso facto, & absque ulla declaratione incurrendam constituimus: quam quidem pænam irremisibiliter exigemus, præter alias etiam graviores, quas arbitrio nostro reservamus. Confidimus autem, imò certò tenemus, neminem inter Vos futurum, qui huic Sanctissimæ legi non sit fidelissimè obsequuturus.*

Et quia de methodo Studiorum Rmus lo-

quebatur, adsit statim suæ menti nostrum Limense S. Thomæ Aquinatis Collegium; erga quod suam paternalem curam haud parùm extendens, in beneficium præfatæ Domus opportunè Sermonem vertit: sic que, postquam tale Collegium maximè Provinciæ commendat, applicat eiusdem Bibliothecæ *ex nunc* (verba sunt N. Rmi in §. 23. suarum Ordinationum) *donec aliter fuerit dispositum omnes Libros universorum Fratrum Provinciæ, qui in ipsa decedant, dum in præfata Bibliotheca ij Libri desint.*

Ne autem (prosequitur P. Rmus) *aliorum etiam Conventuum Bibliothecæ despiciantur, meminerint ipsorum Conventuum Præsides legis frequenter latæ de redditibus certis quotannis pro Bibliotheca seponendis, qui saltem æquent annuum unius Fratris Vestiarium; unde Libri emantur. Itaque ut Bibliothecis communibus uniuscuiusque Conventus de Libris provideatur, ut Libri qui in ipsis reperiuntur, in ordinem redigantur, ut earum præcipua habeatur cura, vehementer hortamur: monentes Priores Provinciales, eorum que Visitatores, ut in suis Visitationibus in hanc rem inquirant, & Superiores puniant, si quos in ea desides inuenerint.*

Circa Leges Depositi, cuius invariabilem observantiam plurimum in Dño exoptamus, operæ pretium duximus verba N. Rmi in §. 25. prælaudatarum Ordinationum contenta, nostris his Actis transcribere, ut omnes nostræ Provinciæ Priores præ oculis illa tenentes, nil contra ipſarum tenorem ex oblivione queant agere. Sic ergo in §. supradicto Sermonem texit P. Rmus: *Leges Depositi commendantes, in memoriam reducimus quod de Deposito Conventuum multoties ordinatum*

*fuit*

*fuit, ut scilicet Priores Conventuales, antequam Officium Prioratus absolvant, aut discedant é Conventibus vbi Prioratum gesserunt, rationem suæ Administrationis reddant coram Patribus á Consilijs: et si quod ipsis debeatur, Successoris curæ sit, ut eis solvatur. Si qui autem Priores suæ Administrationis eo quo dictum est modo, rationem non reddiderint, ij in Priores neque illius, neque aliorum Conventuum possint eligi, vel institui. Eandem legem sub eisdem conditionibus extendimus ad Vicarios Locorum, in quibus si sufficiens non sit numerus Patrum á Consilijs, rationem illi reddent Consilio Patrum Conventus vicinioris.*

Et cum compertum sit, maximum religiosæ vitæ fundamentum in paupertatis disciplina consistere, quæ sanè penitùs corruit, si Religiosi habeant Proprium, necesarium judicamus in memoriam revocare, quæ super hoc nobis sunt crebrò commendata, consequenter que vehementer hortare Priores ut vel Proprietatis umbram è Subditorum corde evanèscere, dissipare, & consumere conentur; memores paternæ monitionis, qua N. Rmus in §. 28. suarum Ordinationum ad observantiam Paupertatis Fratres omnes inspirat, ac pro debito sui muneris declarat, non esse in potestate Prælatorum permittere (multominus licentiare) ut pecunias vel suppellectilia pretiosa apud se Fratres retineant, aut extra Claustra depositatas teneant. En eius insinuatio fidelissimè trassumpta. *Peculiares autem Fratres monemus, se teneri deponere in communi Deposito Conventuum, ad quos respectivè pertinent pecunias eorum usui concessas, aut alias res pretiosas, si quas fortè acceperint; nec posse Præsides Conventuum,*

*imò*

*imò nec ipsum Præsidem Provinciæ eis permittere, ut apud se retineant, aut extra Claustra eiusmodi res, aut pecunias depositatas habeant. Sciant autem universi iam pridem Legibus Ordinis fuisse dispositum, ut pecuniæ, & alia bona Fratrum ubique locorum detenta extra Claustra Ordinis nostri, pertineant ipso facto ad commune Ordinis Depositum. Qua in re oneramus conscientiam Procuratoris & Collectoris nostri, ut ea conquirat, & colli[illegible]*

* Eodem zelo, eadem [illegible]ue religiosa cura spirituales Nostrorum profectus paternali charitate exoptans, efficaciter se insinuat cùm circa jugem practicam Exercitiorum spiritualium in omnibus Conventibus quotannis peragendorum, tùm circa morales conferentias in singulis hebdomadibas actuandas, tum denique circa annum recollectionis in Conventu S. Mariæ Magdalenæ, quem explere debent omnes Sacerdotes novelli; de his que ipsum conscium facere in singulis Capitulis Provincialibus, Definitoribus intimat; ut clarè apparet, & videre est in §. 30 ipsarum Ordinationum hisce terminis concepto: *In singulis Capitulis Provincialibus Nobis notum faciant Definitores Capituli, si in omnibus Provinciæ Conventibus habita sint Exercitia spiritualia, quæ sæpè præcepta sunt, ut quolibet anno à Fratribus nostris peragantur, ut mores suos ad religiosæ vitæ regulam conponant. Si Sacerdotes novelli annum recollectionis in Conventu S. Mariæ Magdalenæ expleverunt. Si demum morales Conferentiæ per singulas Hebdomadas habitæ sunt.*

Ut ergo cuncta ista serventur, et si quid minus servatum fuerit non negligenter prætereatur, sed ut emmendandum corrigendum que

 curetur,

curetur, prudenti, ac virili zelo A. R. P. N. Mag. Provincialis ea enixè commendamus, ut ipsarum exactam executionem instare, promovere, & stabilire studeat. Confidimus tamen (verbis N. Rmi utentes) neminem inter Nostros futurum, qui his Sanctissimis legibus non sit fidelissimè obsequuturus.

## INSTITUTIONES.

QUatenus in Actis præcedentis Capituli decem Notarij Apostolici alibi legitimè instituti recensiti fuerunt, de quorum numero unus è vivis expunctus desit nempè A. R. P. Mag. Fr. Mathias Ramires, nostra interest alium loco illius subrogare, & de facto subrogamus A. R. P. Mag. Fr. Thomam Velasco huius Capituli Definitorem; quo nominato, numerus Notariorum manet perfectè completus cum alijs novem existentibus, qui sunt A. RR. PP. Mag. Fr. Joannes Pasarin, Fr. Joachimus Vrquizu, Fr. Stephanus Grande, Fr. Garcias Noroña, Fr. Michael Davila, Fr. Felix Reynoso, R. P. Præs. Fr. Augustinus Cuba, R. P. Præd. Gen. Fr. Ignatius Sosa, & R. P. Fr. Firminus Nabajas.

Instituimus, & nominamus in Confessarios pro Ecclesia Smi Rosarij A. RR. PP. Mag. Fr. Thomam Velasco, Fr. Andræam Zumaran, Fr. Stephanum Grande, & Fr. Josephum Hurtado. Vt autem quotidiè ad excipiendas Fidelium Confessiones assistant, nominamus RR. PP. Præs. Fr. Franciscum Palencia, Fr. Salvatorem Malo de Molina, Fr. Joannem de Deo Cortijo, & Fr. Thomam Zumaran. R. PP. Reg. Fr. Franciscum Francia,

Fr.

Fr. Joannem de Deo Salgado, Fr. Christophorum Suaso, & R. P. Præd. Gen. Fr. Bernardinum Torres.

Instituimus seu antea institutum conservamus in Directorem Tertij Ordinis nostri A. R. P. Mag. Fr. Felicem Reynoso.

Instituimus in Historiographum Nostræ Provinciæ A. R. P Mag. Fr. Andræam Zumaran.

Instituimus in Institutorem Rethoricæ Sacræ R. P. Reg. Fr. Petrum Vasquez.

Instituimus seu potius institutum conservamus in Custodem Archivi huius Conv. Smi Rosarij, & totius Provinciæ, simulque in Procuratorem Generalem pro Litibus ad Tribunalia Ecclesiastica, & Secularia deferendis A. R. P. Mag. Fr. Raphaelem Lope, in subsidium verò seu Socium ad talem laborem sustinendum nominamus R. P. Reg. Fr. Narcisum Dern.

Instituimus, aut iam ab Emo Fr. Joanne Thoma de Boxadors olim totius Ordinis Mag. Generali institutum conservamus in Judicem informationum pro Recipiendis ad Habitum nostræ Religionis A R. P. Mag. Fr. Joachimum Vrquizu, simulque pro Socio ad hoc munus minus laboriosè exercendum nominamus R. P. Præs. Fr. Vbaldum Varela,

Instituimus in Procuratorem Generalem Provinciæ R. P. Præd. Gen. Fr. Franciscum Larrain.

Instituimus in Depositarios Conv. nri Smi Rosarij R. P. Præs. Fr. Franciscum Palencia, & R. P. Fr. Josephum Gonzales.

Vltimò conservamus in Bibliothecarium nostræ Bibliothecæ Conv. Smi Rosatij R. P. Fr. Antonium Calderon iam antea institutum ab

Emo

## ALIÆ INSTITUTIONES.

INstituimus in Mag. Novitiorum pro toto Quatriennio RR. PP. Præsent. Fr. Joannem de Deo Cortijo, Fr. Blasium Cornejo, Fr. Joannem de Deo Paz, & R. P. Reg. Fr. Franciscum Francia, ut ex his A. R. P. N. Mag. Prov. eligere possit quos ipse in Dño opportere existimaverit.

Pro hac tamen vice conservamus in Mag. Novitiorum Conv. Smi Rosarij R. P. Præd. Gen. Fr. Laurentium Aybar.

Etiam que conservamus in Mag. Conversorum supradicti Conv. R. P. Præd. Gen. Fr. Ignatium Sosa.

Instituimus seu potiùs conservamus in Mag. Novitiorum Conv. S. Mariæ Magdalenæ R. P. Fr. Petrum Bustios.

Instituimus in Mag. Conversorum prædicti Conv. R. P. Fr. Josephum Martines.

Instituimus in Mag. Novitiorum Conv. S. P. Dominici del Cuzco R. P. Præd. Gen. Fr. Josephum Vargas.

Prioribus autem istius nostri Conv. Cuzquensis sub præcepto formali strictissimè præcipimus, ut Informationes Adolescentum ad Habitum recipiendorum, cùm lexitimitatis, tùm puritatis natalium, tum denique in moribus candoris, ipsimet indispensabiliter recipiant; insimulque peracto speciali accuratissimo scrutinio super qualitatibus relatis, cuncta, & singula documenta A. R. P. N. Mag. Prov. transmittant, sinè cuius expressa particulari licentia, minime

po-

poterunt, quemlibet ad Habitum noſtrum recipere.

Inſtituimus in Magiſtrum Novitiorum Conv. ñri S. P. Dominici Platenſis R. P. Lect. Fr. Joſephum Guarnizo.

Inſtituimus in Mag. Novitiorum Conv. ñri S. P. N. Dominici Panamenſis R. P. Fr. Joſephum Palma.

Pro Conventu noſtro S. Pauli de Arequipa univerſos conſcios facimus, Rmùm P. N. Mag. Gen. per Epiſtolam Romæ in Conv. S. Mariæ ſuper Minervam die 22. Septembris anni proximè conſummati 1779. vernaculè conſcriptam, reſtauraſſe, & inſtituiſſe in Domum Novitiorum prædictum S. Pauli Arequipenſe Cænobium, Patribus Definitoribus impenſè commendans, ut nominent, & inſtituant in Magiſtrum Novitiorum Virum aliquem religioſitate, exemplo, reliquiſque doribus ad religioſam Juvenum educationem undequaque præditum: verba plaudatæ Epiſtolæ ſunt hæc. *Por lo tocante al Convento de Arequipa, desde luego convengo, en que el Difinitorio reſtableſca aquel Noviciado, con tal que ponga por Maeſtro de Novicios à un Hombre de prendas, y graduacion; pues de lo contrario lexos de ſacarſe fruto, no hariamos mas que aumentar gente inutil, y acaſo perjudicial. Eſte es un punto de tanta importancia, que ſi ſe mira à las luzes de una buena razon, de aqui depende la verdadera felicidad de la Orden la qual conſiguientemente hà procurado, y procurarà ſiempre que ſe confie la crianza de la Juventud à perſonas que ſepan inſtruirla, y edificarla.* Nos que huic religioſſiſſimæ æque que paternali inſinuationi ſuppliciter obtemperantes; Inſtituimus in Mag. Novitiorum memorati Conventus S. Pauli de Are-

quipa R P. Præd. Gen. Fr. Joannem Sangueza.

Priori autem huius S. Pauli Conventus, cæterorum que Conventuum Prioribus, seriò injungimus, ut quilibet pro sua respectivè Domo nominet in Magistrum Conversorum Religiosum, qui ad hoc munus adimplendum magis idoneum existimaverit: sed pro hac vice nominamus in Magistrum Conversorum pro nostro perdilecto Conventu S. Rosr. Limensi R. P. Fr. Emmanuelem Calle.

## INSTITUTIONES OFFICIALIUM STUDIJ pro Conv. Smi Rosarij, eius que Collegio Domestico.

INstituimus in Regentem primarium A. R. P. Mag. Fr. Marianum Pasarin.

Instituimus in Regentem secundarium, simul que in Lect. Theologiæ primarium R. P. Fr. Josephum Lopez Campusano.

Instituimus in Lectorem Theologiæ Vespertinum R. P. Fr. Theodorum Valdivia.

Instituimus in Lect. de Locis Theologicis Nri Cani R. P. Fr. Marianum Aguilar.

Instituimus in Lect. Sacræ Scripturæ R. P. Fr. Emmanuelem Arze.

Instituimus in Lect. Methaphys. R. P. Fr. Joannem de Deo Ampuero.

Instituimus in Lect. Philosoph. simul que in Mag. Studentinm R. P. Fr. Dominicum Zeballos.

Instituimus in Lect. Logicæ R. P. Fr. Antonium Corsi.

Instituimus in Lect. Theologiæ Moralis R. P. Fr. Paulum Ramires.

Ins-

Inſtituimus in Lect. Grammaticæ R. P. Fr. Emmanuelem Irribarren.

Inſtituimus in Cathedraticum Linguæ Indorum R. P. Præs. Fr. Emmanuelem Garrido.

Inſtituimus in Rectorem Collegij Domeſtici R. P. Præs. Fr. Salvatorem Malo de Molina.

Inſtituimus in Prædicatores dicti Conv. RR. PP. Fr. Cyprianum Valdivia, & Fr. Franciſcum Aragon.

## PRO COLLEGIO S. THOMÆ LIMENSI.

INſtituimus in Regentem primarium R. P. Reg. Fr. Marianum Muñoz.

Inſtituimus in Regentem ſecundarium, ſimul que in Lect. Theologiæ primarium R. P. Fr. Joannem Gabrielem Bracho.

Inſtituimus in Lect. de Locis Theologicis Nri Cani R. P. Fr. Joſephum Lopez Donayre.

Inſtituimus in Lect. Philoſoph. ſimul que in Mag. Studentium R. P. Fr. Stephanum de Yrquizu.

Inſtituimus in Lect. Logicæ R. P. Fr. Emmanuelem Zuniga.

## PRO CONV. S. P. DOMINICI DEL Cuzco.

INſtituimus in Regentem primarium, ſimul que in primarium Theologiæ Reg. R. P. Fr. Joſephum Vergara.

Inſtituimus in Regentem ſecundarium, ſimul que in Lect. Theolog. Veſpertinum R. P. Fr. Emmanuelem Sabala.

Ins-

Instituimus in Lect. de Locis Theologicis Nri Cani R. P. Fr. Andræam de Aragon.

Instituimus in Lect. Theolog. Moralis, simul que Sanctæ Scripturæ R. P. Fr. Josephum Figueras.

Instituimus in Lect. Philosoph & simul in Mag. Studentium R. P. Fr. Josephum Sota.

Instituimus in Lect. Logicæ R. P. Fr. Dominicum Quimper.

Instituimus in Prædicat. dicti Conv. R. P. Fr. Dominicum Lozada.

## PRO CONV. S. P. DOMINICI PLATENSI.

INstituimus in Regentem primarium R. P. Præs. Fr. Paulinum Franco.

Instituimus in Regentem secundarium, simul que in Lect. Theolog. primarium R. P. Fr. Stephanum Marques.

Instituimus in Lect. Theologiæ Vespertinum R. P. Fr. Josephum Guarnizo.

Instituimus in Lect. Theolog. Mor. æque que S. Scripturæ R. P. Fr. Ildephonsum Figueroa.

Instituimus in Lect. Philosoph. & in Mag. Studentium R. P. Fr. Laurentium Casas.

Instituimus in Lect. Logicæ R. P. Fr. Cyprianum Sanchez.

Instituimus in Prædicrtorem dicti Conv. R. P. Fr. Ludovicum Sandoval.

## PRO CONV. S. PAULI DE AREQUIPA.

RMUS P. N. Mag. Generalis ea benignitate qua erga Nos prosequitur, secundam nostram sup-

supplicationem Actis præcedentibus expositam pijssimè admittens, concessit ut Conventus noster S. Pauli de Arequipa, habeatur tamquam Domus Studiorum, donec aliter fuerit constitutum; *Sub hac tamen expressa conditione* (verba sunt ipsius Rmi nri) *ut ibi esse non debeant, nisi unus tantum Lector Artium, unus Sacræ Theologiæ Lector, & unus Lector Melchioris Cani.*

*Et quoniam de Cani L[...]ne Sermo incidit* (prosequitur N. Rmus) *den[...] mandamus, ne quis ad Studium Sacræ Theologiæ admitti possit, quin prius anni unius integri spatio Lectiones ex Cani Locis audierit, quo tempore nulli alterius Cathedræ Lectioni interesse debeat. Si autem contra fieri aliqua ratione contingat, Studentibus quidem annullamus annos quot quot transegerint in Studio Sacræ Theologiæ; Lectores verò, qui illis Theologiam legerint, inhabiles facimus ad gradus consequendos.*

Devenientes autem ad institutionem Lectorum pro enuntiato Conv. S. Pauli de Arequipa, & in hac nominatione Ordinationi N. Rmi omnimodè obsequentes;

Instituimus in Regentem primarium R. P. Lect. Fr. Joannem de Deo Valverde.

Instituimus in Lect. Sacræ Theologiæ R. P. Fr. Marianum Alvites.

Instituimus in Lect. de Locis Theologicis nri Cani R. P. Fr. Emmanuelem Soberron.

Instituimus in Lect. Philosoph. R. P. Fr. Emmanuelem Medina.

Instituimus in Lect. Theologiæ Moralis R. P. Reg. Fr. Augustinum Casafranca.

Instituimus in Præd. dicti Conv. R. P. Fr. Josephum Tebes.

## PRO CONV. S. P. DOMINICI DE Panamà.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Fr. Dominicum Martinez.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Josephum Palma.

## PRO CONV. S. ANNÆ DE HUAMANGA.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Vincentium Pacheco.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Bartholemæum Loayza.

## PRO CONV. S. HYACINTHI DE CHUquiavo.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Fr. Balthasarem Campo.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Ignatium Sandoval.

## PRO CONV. SMI. ROSARIJ DE POTOSI.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Ferdinandum Ampuero eiusdem Conv. Priorem.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Emmanuelem Molleda.

## PRO DONV. SMI ROSARIJ DE ORURO.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Fr. Emmanuelem Gonzales.

Ius.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Antonium Cabrera.

PRO CONV. S. JOSEPHI DE COCHA-bamba.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Fr. Franciscum Arze.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Dominicum Ruiz.

PRO CONV. S. PETRI MARTYRIS DE Truxillo.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Thomam Tamorrios.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Josephum Gonzales.

PRO CONV. S. THOMÆ DE HUAN-cabelica.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Augustinum Contreras eiusdem Conv. Priorem.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Marianum Morales.

PRO CONV. S. MARIÆ MAGDALENÆ.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Antonium Zagal.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Emmanuelem Mena.

PRO

PRO COMV. S. HERMENEGILDI DE Misque.

INſtituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Thomam Cordero

Inſtituimus in Rredicatorem dicti Conv. R. P. Præd. Gen. Fr. Petrum Nolasco Godo.

PRO CONV. SMI ROSARIJ DE MOquegua.

INſtituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Sebaſtianum Maſuelos.

Inſtituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Præd. Gen. Fr. Marianum Leon.

PRO CONV. S. P. DOMINICI DE Huanuco.

INſtituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Joſephum Contreras.

Inſtituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Joannem de Deo Carrillo.

PRO CONV. S. P. DOMINICI DE TARIJA.

INſtituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Jacobum Carraſco.

Inſtituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Præd. Gen. Fr. Emmanuelem Calvo.

PRO CONV. S. ROSÆ LIMENSI.

INſtituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Franciscum Francia. Ins-

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Dominicum Bardales.

PRO CONV. S. P. DOMINICI DE Chincha.

INstituimus in Lect. Theolog. Mor. R. P. Reg. Fr. Nicolaum Negreyros.

Instituimus in Prædicatorem dicti Conv. R. P. Fr. Josephum de Castro & Cardenas.

